Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2639
Quelle:
Copyright:

occultatione viciorum ſub ſpecie virtutum Anno domini 1467.

X. *fol.* 279. *Incipit ſpeculum regum ſecundum quosdam theologos. Speculum Regum compoſitum per magiſtrum Gotfridum viterbienſem principalis aule Cappellanum ad Dominum Heinricum VI*tum. *Regem Romanorum et thethunicorum filium friderici imperatoris de geneologia omnium Regum et Imperatorum troianorum et Romanorum et thetunicorum a tempore diluuij usque ad eundem ſecundum Coronicam venerabilis Bede presbiteri Et Euſebij et Ambroſij De omnibus geſtis friderici ſecundum Capitula que ſcripta ſunt. Hec autem epiſtola ad eum miſſa eſt prelibanda.* Sequitur: *Epiſtola ad regem heinricum.* Hujus Epiſtolae ingreſſum cum jam *Lambecius* L. II. p. 774. edit. *Kollar.* col. 575. praeceperit, quae in ea hiſtoriam ſpectant, hic porro enotabimus. Poſtquam igitur dixiſſet, ſe in hoc *Speculo* a filiis *Noe* poſt diluvium ad Reges *Athenienſes*, indeque ad reges *Trojanos* deſcendere, proſequitur: *In priamo autem et anchiſe proſapia regum in duo diuiditur. Ex Anchiſe enim Eneas et Aſcanius omnesque reges et Imperatores ytalici oriuntur vsque ad Karolum regem magnum. A priamo autem iuniore nepote magni priami ex ſorore vniuerſa thetunicorum nobilitas vsque ad eundem Karolum patet emanata. In ipſo Karolo utriusque propaginis genus concurrit. Mater enim eius Bertha, cum eſſet filia filie Imperatoris Eraclij de genere Imperatoris Romanorum et grecorum fuit.* (Cariberti Com. Laudunenſis filia erat, ſed Autor noſter in *Pantheo*, *Scriptt. germ. Piſtorii T. II. edit. Struv.* p. 300. et 303. ex *Ungaria* eam accerſit.) *Pipinus autem pater eius rex thethunicorum a genere troianorum deſcendit. Fuit itaque Karolus magnus patre thetunicus et matre Romanus. Et notandum quod ſecundum coronicam venerabilis Bede presbiteri, Euſebij aput hebreos et aput grecos et ytalicos et alias nationes interdum annos et tempora vsque olympiades vnius cuiusque regum et Imperatorum liber diſtinguit apoſtolicorum et romanorum nomina et tempora et annos ſub unoquoque Imperatore declarat. Item turbaciones eccleſie Romane a Longobardis illatas ſatis commemorat. Et quomodo dux francorum Karolus Martellus et rex Pipinus atque Karolus magnus Romam et eccleſiam liberauit ſufficienter explanat. Qualiter Karolus Imperium ſuis viribus acquiſiuit plene deſcribit.— Item quomodo papa Silueſter terram poſſedit a Conſtantino, et quomodo poſſedit eam que nunc dicitur patrimonium a conſtantino et omnia ſceptra regalia ſeu imperialia. Que omnia de pluribus hyſtorijs congregata et diuturnis laboribus multis voluminibus exflorata ſapientia tui numinis ſi placeat in puerorum ſcolis facias lectitari.* Honeſtius id eſſe, *quam fabulas caridonis uel peccudes melibei memorie commendare.* &c. Iuventuti itaque erudiendae ἐπιτομὴν hanc *Gotfridus* ex magno Opere ſuo, quod *Pantheon* inſcripſit, XX. Partibus conſtante,